
PROOEMIUM.

Praefationem scribere quum semper mihi visum sit habere discriminis aliquantum ac difficultatis homini diligenti viriumque suarum conscio, tum maxime in hoc opere meo qualicumque benevolis lectoribus et commendando et in publicum edendo nec paucis nec parvis me circumventum sentio angustiis. Nam primum quae omnis praefationis natura esse debeat et indoles mecum reputanti, scilicet ut totius operis in unum veluti contracta species ante oculos ponatur, accidit, ut quam facile in utramque partem peccari possit, non sine aliqua animi sollicitudine animadverterem, tum quae ipse expertus eram, tum quae aliorum imprimis nostra memoria hominum me docuerant exemplis consideratis. Etenim ut procul sint plerique a calumnia et iniusta quadam suae in aliquo scriptore impensae operae cavillatione, tamen ne sub verecundiae quam praeferunt ac pudoris latebra insolentiae aliquid occultum sit et arrogantiae, cavendum est nostri saeculi hominibus, fervidiore totius antiquitatis Graecae et Romanae studio uti calentibus, ita ad sententias priorum impugnandas et quae diuturna quadam sancita habebantur temporum auctoritate immutanda pro virium suarum fiducia, ne dicam confidentia, proclivibus. Itaque quemadmodum in laude et honore ducendum est, quae vetustate corruerint restaurasse, sordibus obiecta et inquinata purgasse et ad pristinum splendorem revocasse, vitiosa et hominum vel pravitate vel perversitate corrupta in prioris integritatis statum restituuisse: sic haud immerito in suspicionem veniunt atque optimi cuiusque animum ac mentem a se abalienant, qui ingenio saeculi nimium concedentes, tum demum maesti virtute esse, officioque satis fuisse opi-

nantur, quum nihil omnino intactum reliquerint, quin aliqua saltem ex parte tentaverint, ac firma quoque et fixa novis additis fulcris pro sua parte firmiora reddere conati sint. Ea enim esse solet criticae artis, qua nostra aetas praeter ceteras pollere vulgo fertur, ratio et conditio, ut facile modum modestiamque excedat ac parum victoriae si quam adepta est, in adversariis temperet, vel ut parum curet, quae sit testium vel auxiliarium veluti copiarum fides, quaeve fallax et subdola observantia, quaeque religio aetate provecioribus et ipsa vitae diuturnitate consummatis viris ex laudabili sane Lacedaemoniorum instituto debita. Accedit quod inde ab Aristarcho eiusque sociis iudicium, quod sibi multi omnium saeculorum viri docti arrogarunt, quoque vel singulos scriptorum antiquorum locos vel sententias in perpetuum omni honore ac dignitate privatas cernimus, legitimum prorsus non sit habendum; plus enim sibi nonnulli sumserunt, quam quod ipsorum vel ingenio vel diligentiae vel eruditioni debebatur, ideoque exstiterunt quasi tyranni, iniusta dominatione rerum potiti. Ac factum est hominum quidem tum socordia tum nominum illustrium, etiamsi ingentem famam casu ac fortuito magis quam merito nonnulli nacti sint, insito quodam reverentiae sensu, ut per longius interdum spatium eiusmodi superbiorum hominum duraret imperium, quemadmodum in rebus publicis regna iniuste parta heu nimis diu retinuisse atque etiam nunc retinere videmus saevos et crudeles dominos ac tyrannos. Quare primum quidem ipse se quisque interroget atque examinet, quo iuris titulo potestatem severioris alicuius iudicii exercendi sibi vindicasse existimari velit, quibus aliorum de se testimoniis ubicunque pronunciatis paulisper animo confirmatus novum munus suscepturus sit, quo numine vel favente vel abnuente profligaturus: qua data opportunitate consilium inierit, num mala ambitione ductus, an necessario coactus; num quod paucis prospere contigisse nostra aetate vidimus, a bibliopolis maxime liberalioribus et iustam gratiam non modo habentibus sed

v

debitam grato animo solventibus, excitatus vel imploratus; an denique, quod honestissimam mihi semper visum est excusationis speciem praeferre, iuventutis literarum studiosae commodis vel servandis vel adaugendis, et optimarum artium sincero quodam atque ingenuo amore commotus. Ac dum nescio, nec si sciam, audeo palam pronuntiare, quae mei ingenii meorumque studiorum sit ratio: potius enim semper habui vitae aliquod adhuc transactae provocare posse testimonium, et rebus maxime scholasticis aliquanto plus conferre existumo usum rationi consentaneum, quam de institutione et doctrina subtiliter a multis praecepta, a paucis usu comprobata: id unum repetere ac denuo profiteri non dubito, Quinctilianum praeter ceteris eiusdem aetatis scriptoribus dignum esse, quocum liberalioris disciplinae atque ingenii iuvenes interiorum ineant familiaritatem. Quod quum pluribus demonstrare nec loci habeam nec temporis, ipsa enim egregii scriptoris praestantia tenui mea atque exili laudatione non indiget, unum reticere nefas puto, singulari quadam eaque exoptatissima sorte factum esse, ut optimo scriptori duo probissimi gentis nostrae viri contigerint tum fautores ac sospitatores, tum interpretes et ab iniuriis vel tempestatum vel insciorum strenui defensores, Gesnerum dico atque Spaldingium: quorum utrumque nescio num ab animi ac sensuum pietate, morumque honestate, an ab ingenii et doctrinae mira quadam copia et subtilitate, an a laudabili sane in disputando et iudicando modestia et liberalitate plus apud aequales commendationis habuisse, atque in perpetuum habiturum esse statuum. Verum quemadmodum omnibus ulla in re satis fecisse propter naturae humanae imbecillitatem vix fieri potest, et quin unquam factum sit recte adhuc dubitatur, ita lubenter fatemur, salva tantorum virorum dignitate, nonnulla certe, ne dicam multa reliqua mansisse vel obscure a Quinctiliano dicta, vel a librariis depravata, vel ex codicum auctoritate refingenda atque emendanda, quae viri illi clarissimi et diligentissimi explorare ac perscrutari

vel noluerunt, vel idoneis auxiliis destituti, in iustum ordinem redigere omnibusque ex partibus sanare non potuerunt. Pariter omnes norunt rei literariae qualis apud nostram gentem esse solet periti, non adeo multos esse tum iuvenum Graecis et Romanis literis operam navantium, tum magistrorum eas docentium, qui optimorum scriptorum antiquorum libros vel splendide typis exaratos, vel copiosa annotatione instructos, vel alia quacunque de causa nonnisi amplioris pretii venales factos sibi parare valeant: ea enim est popularium nostrorum vel frugalitas vel parsimonia, ut rei domesticae curam potiore habuisse variorum librorum prodigae cuidam atque immoderatae coemptioni patribusfamilias minime turpe et indecorum existimetur, aut sordidae tenacitatis vel illiberalis ingenii triste indicium. Itaque mirum non est, et Gesneri operam et doctrinam, Quinctiliano quondam addictam, et Spaldingii eruditionem ac diligentiam eodem opere comprobata non tam multis innotuisse, quam a quibus tam dulces tamque desideratos fructus subtilioris doctrinae degustatos esse velis. Constat praeterea, plerosque veterum scriptorum libros, brevioribus exceptis, quos ut totos perlegant iuvenes vel omnis studiorum ratio postulat, vel usus suadet, nonnisi carptim in scholis legi et tractari; opus tam amplum, tam copiosum, tam varium quamquam eiusdem argumenti atque uno eodemque consilio susceptum et ad finem perductum, quale est summi rhetoris nostri, ultra terminos vitae atque eruditionis iuvenilis procedere, maximamque partem aetatem atque ingenium virile spectare quis est qui infitias ire velit? Veruntamen inabuendi sunt vel puerorum animi colore Quinctiliano, adducendi ad fontem illum perennem ac liquidum elegantis et copiosae orationis, deducendi ad diligentem artis rhetoricae et dialecticae magistrum, quem sequantur, aemulentur; instruendi bona scientiae et intelligentiae copia, qua abundantem mecum agnosces modestum illum ac moderatum et rerum et personarum arbitrum. Prorsus, si mea aliqua apud schola-

nostrarum rectores a
delicis ut habeatur Qui
magnandum esse putare
rebeti libri in adolescentu
posteriori aetati asser
mum mihi esset persuas
dilitate factum iri, qu
na ratione et scholarum
numero laetiores quosda
is prosperioresque tun
cessus animadvertissem
nam Oratoriarum libro
non adeo necesse habui
stra in illo libro inte
collocatam existimare
peracto rectum et aeq
facilius ac saepius vi
cunque vel adminis
mur, non sine moll
indulgentia, quam i
fortiter exantlatis,
denter sublatis, iust
vel doctrinae solutis
auditi, quod qui eff
et histronum partes
melioris vel commodi
et constituisse artis a
ritico quodam cum i
consulte agere nobis
lum diffidentes, nat
nisi lento gradu et
novum suscipiendum
santur, praesertim in
copiis satis superque
elaboraverint. Qua
Quinctiliano a Ges
contigisse post alioru

rum nostrarum rectores ac gubernatores esset auctoritas, in deliciis ut habeatur Quintilianus, legem vel decretum promulgandum esse putarem, et ut aliquot eximii operis selecti libri in adolescentulorum manibus versentur, reliqui posteriori aetati asserventur edicturus essem. Quod quum mihi esset persuasissimum cum ingenti iuventutis utilitate factum iri, quumque ipse pro studiorum nostrorum ratione et scholarum huic operi destinatarum exiguo numero laetiores quosdam amplificatae cognitionis eventus prosperioresque tum in orando tum in iudicando successus animadvertissem, decimo potissimum Institutionum Oratoriarum libro cum discipulis meis communicato, non adeo necesse habui operam meam deprecari, ne frustra in illo libro interpretando consumtam aut temere collocatam existumarent, penes quos de tali negotio rite peracto rectum et aequum esse ponimus iudicium. Verum facilius ac saepius voluptate vel desiderio operis qualiscunque vel administrandi vel restaurandi trahi nos patimur, non sine molli quadam ac muliebri in nosmet ipsos indulgentia, quam id enitumur, ut molestiis laboribusque fortiter exantlatis, obstaculis ubiubi obviis e medio prudenter sublatis, iustis ac debitis priorum vel assiduitati vel doctrinae solutis, non *novi* nos aliquid ac paene *in-auditi*, quod qui efficere adfectant ne saltatorum passim et histrionum partes egisse videantur timendum est, sed *melioris* vel *commodioris* ac *plenioris* quidpiam effinxisse et constituisse artis ac disciplinae peritiores iudices honorifico quodam cum testimonio adfirmant. Ideo haud inconsulte agere nobis videntur, qui viribus suis aliquantulum diffidentes, naturae suae humanae memores, non nisi lento gradu et circumspecto iudicio ad opus aliquod novum suscipiendum accedunt, in eoque tractando versantur, praesertim in quo eximii ingenii viri doctrinaeque copiis satis superque instructi ante nos summa cum laude elaboraverint. Quam sortis felicitatem quum operi Quintiliano a Gesnero et Spaldingio superiore saeculo contigisse post aliorum doctissimorum virorum maxime

Burmanni, operam bene nossem, quorum studia nostra memoria nonnulli vel iudicii acumine vel artis criticae novis quibusdam subsidiis tum compensarunt, tum sustentarunt: nonne satius ducere debebam ac melius rationibus meis consultum, quae forte in mentem incurrerant, dum **Quintiliani Librum X.** discipulis explicabam studiisque meis privatis iterum iterumque retractabam, vel corrigenda vel modo a vulgari et tralaticia ratione paullulum diverso interpretanda, ea omnia veluti in thesauro recondita atque conclusa continere, quam bono animo, id quod interdum solet esse credulitatis, aut confidenter, quod ne sit arrogantiae verendum est, promulgare atque in lucem edere? Quae cogitationes quum animo meo paene infixae haerent mihi pro certo haberetur ac constituto, alia adolescentulos, dum disciplina scholastica utuntur, iuvare et delectare, alia virorum doctorum iudicio probari, alia iuvenili aetati, alia hominibus corroboratis viribus placere, nonnulla inter privatos parietes bene et apte dicta videri et aliquid laudis ferre, pauca in omnium ore ita versari omniumque in manibus ita esse, ut a bonitate ac suavitate inde percipienda perpetuam et absolutam aliquam habeant commendationem: gravioribus tantum quibusdam caussis ac rationibus commoveri potui, ut huncce libellum tali annotatione critica et grammatica instructum amicis et huiusmodi studiorum ingenuis amatoribus tradere auderem.

Ac primum quidem noveram suo quemque vel fatoduci, vel sorti obsequi, vel quam legem in re literaria sibi quisque scribat necesse est, consilio alicui certo ac definito et rationi consentaneo inservire, a quo in neutram partem discedere liceat: inde fieri, ut quum duo faciant idem, non sit idem. Itaque unum illud, quomulti a consilio proposito deterriti sunt, non ita multum sollicitudinis menti meae iniecit, quod vel uno eodemque tempore idem mecum opus alii aggressi sunt, vel quod paullo ante nonnulli in eodem negotio cum laude versati sunt. Suam enim quemque experientiam peritiorum facere

ommo est qui ignoret, atque
 sciam inexhaustam qua
 sapientiae copiam, nemo f
 peccatus negabit. Accel
 horum varietate diligenti
 circa sunt ac geruntur co
 ita est voluptas; quae qu
 in re literaria augetur
 dum est, quam laetandu
 eum varietate, aut in m
 et temeraria praeceptoru
 rum tenacitate, aut ind
 plenis conviciis prava
 ac crucietur. Itaque p
 nus, quam violare ne
 tum studio aliena ess
 seditiosa; quales non
 nus, qui turbas exc
 ad foedum certamen
 sisse laudi sibi dux
 prioribus tradita et a
 vare tandiu nobis in
 meliora nos vel indag
 gumentando ad aliqu
 nos aliqua tenebat spe
 ab ipsa vetustate ines
 gis quam ex aequo i
 virium superiorum ve
 tare, religio fuit: nil
 nisi quod vel gram
 praeceptis, vel certis
 iudiciis vel scriptoris
 ciatae aut ex tota ori
 stro iudicio videretur.
 spicacissimo accidit,
 no dum scholarum m
 nibus distento, non

nemo est qui ignoret, atque etiam eo nomine vitam scholasticam inexhaustam quandam continere prudentiae ac sapientiae copiam, nemo facile nisi umbratili doctrina occaecatus negabit. Accedit quod in ipsa rerum et consiliorum varietate diligenti ac sedulo omnium quae circum circa fiunt ac geruntur contemplatori haud mediocri posita est voluptas; quae quod indies uti in aliis artibus, ita et in re literaria augetur, amplificatur, non tam dolendum est, quam laetandum: modo ne in absurda opinionum varietate, aut in nugis atque ineptiis, aut in audaci et temeraria praeceptorum ac sententiarum semel edictarum tenacitate, aut indignis contentionibus iracundiaeque plenis conviciis prava simul hominum fatigetur ambitio ac crucietur. Itaque primam legem hanc nobis scripsimus, quam violare nefas ac dirum habuimus, ut a partium studio aliena esset mens nostra, nec factiosa aut seditiosa; quales nonnullorum et accepimus et comperimus, qui turbas excitasse aliosque iurgiosos et rixosos ad foedum certamen cum delectatione irrisorum commisisse laudi sibi duxerunt et existimationi. Deinde a prioribus tradita et accepta grato animo colere et observare tamdiu nobis impositum putavimus officium, donec meliora nos vel indagando reperissemus vel colligendo et argumentando ad aliquam probabilitatem adduxissemus iusta nos aliqua tenebat spes et fiducia. Antiqua illa, et quibus ab ipsa vetustate inest aliquid sanctitatis, ex ludibrio magis quam ex aequo collabefactare, et ex inani quadam virium superiorum vel maiorum copiarum iactantia assultare, religio fuit: nihil mutare aut extirpare ausi sumus nisi quod vel grammaticae legibus, vel rationis sanae praeceptis, vel certis quibusdam antiquissimorum testium iudiciis vel scriptoris sententiae aut disertis verbis enunciatae aut ex tota oratione manifestae repugnare pro nostro iudicio videretur. Verum quamvis cautissimo et perspicacissimo accidit, ut se hominem sentiat ab errore; ne dum scholarum magistro, multis variisque occupationibus distento, non continua sed longioribus intervallis

discissa opera in negotio tam gravi et impedito versanti ea felicitas contigerit, quam in votis habuisse sat est, scilicet ut aliquando otii tantum fortuna faultrice nobis concedatur, quantum aetate adhuc vigente ad opus aliquod plenius consummatiusve conficiendum, non tam ut animo gratificemur requiritur ac desideratur, quam ut exposcamus necessario naturae humanae conditione cogimur. Itaque tam procul absun, ut liberum me ac solutum censeam ab illo mortalium generi communi tributo, quod errando naturae solvisse certe ab humanitate non alienum est, ut ne rationem quidem prorsus mihi constitisse lubenter fatear. Nam quum ab initio mihi propositum esset parva tantummodo ac brevi annotatione critica librum Quintiliani X. exornare, idque consilii captum esset adstipulante et exostulante librario, viro et propter adfinitatem caro mihi et accepto, et strenuitate ac diligentia popularibus comprobato, mox ipso opere procedente eo adductus sum, ut consilio paullulum mutato, ad lectionis varietatem *caussas praecipuas et rationes* adderem, quibus vel ponderatis et examinatis vel inter se, ubi essent diversi generis, compositis ac comparatis, exercitationis non modo exoptata sed quam necessaria adolescentulis fieret copia. Exercitationem dico ingeniorum et quasi velitationem iuvenilium, qualem fuisse legimus in scholis antiquorum rhetorum, qualem etiam nunc omisisse nunquam sibi condonabunt puerorum institutores, vel publice operam suam in iuventute edocenda collocantes, vel privata adolescentium ingenuorum studia moderantes. Quid enim illud est, didicisse fideliter artes, quod fere iactant homines liberaliore disciplina educati, nimirum quo distinguantur a rudibus et agrestibus, nisi animo ac sensu percepisse, quid pulcrum sit, quidve turpe; quid rectum aut pravum, tum in antiquitatis Graecae et Romanae monumentis, tum in tota vita nostra publica et privata? Quid illud est, quo antiquos homines excellere ac nobis recentioris aetatis molliori aura adflatis praestare ubique videbis, nisi virtutis amore,

propositorum tenacitate
 impunitis iudicii vi et ac
 tali quadam sollertia e
 est cum mentis atque in
 cia! Itaque non adeo m
 et copia, quamquam is
 habenda est veluti thes
 tam et prompta ac par
 distinguendi peritia: c
 via brevius faciliusqu
 veterum linguarum se
 corum et Romanorum
 reiore veluti animor
 ego adhuc non reper
 quamquam quid in n
 veritatis legem alli
 fervidioris imagine
 mathesis, distinete
 pata, nemo facile
 vero illa ipsa ars
 auxilium vocata,
 et honestum ad n
 alacritatis viriumq
 tum quum disputar
 uberem praebet r
 tatur institutione
 esse credimus, ut
 modo sibi sit cons
 ad intelligentiam
 est: quis est rei
 tam parum gnaru
 magis praeceptor
 memoriae manda
 id quod esse nor
 run notiones ac
 parta est et vel
 inter se propius l

propositorum tenacitate et constantia, animi fortitudine, imprimis iudicii vi et acumine, in artibus exercendis naturali quadam sollertia et dexteritate, quae fere coniuncta est cum mentis atque intelligentiae facilitate et perspicacia? Itaque non adeo magni aestumanda est memoriae vis et copia, quamquam ista animi facultas omnis doctrinae habenda est veluti thesaurus, nisi accedit expedita quaedam et prompta ac parata veri perspicientia atque a falso distinguendi peritia: quae duae optimae artes qua alia via brevius faciliusque parentur atque ediscantur, quam veterum linguarum sedulo ac diligenti studio atque Graecorum et Romanorum scriptorum intenta lectione et severiore veluti animorum disciplina inde ducenda, equidem ego adhuc non reperi, neque aliam comminisci possum: quamquam quid in mentibus puerilibus ad certam aliquam veritatis legem alligandis atque a libidinibus et inanibus fervidioris imaginationis commentis coërcendis valeat mathesis, distincte ac luculenter tradita et prudenter usurpata, nemo facile est qui nunc diffiteatur. Verum enim vero illa ipsa ars critica, recte adhibita h. e. modice in auxilium vocata, quid aliud est, nisi egregium quoddam et honestum ad mentes iuvenum excitandas subsidium, alacritatis viriumque intentionis incitamentum, praesertim quum disputandi h. e. vel asserendi vel obloquendi uberem praebeat materiem. Iam vero summum quod petatur institutione nostra scholastica quum in eo positum esse credimus, ut homo semper et ubivis locorum sui non modo sibi sit conscius, sed etiam compos, quorum unum ad intelligentiam spectat, alterum ad mores referendum est: quis est rei paedagogicae, quam vulgo appellant, tam parum gnarus, quin nobiscum in eo consentiat, nihil magis praeceptoribus elaborandum esse, quam ut quae memoriae mandaverint discipuli, ea quoque intelligant: id quod esse non potest, nisi quando distinguendi verborum notiones ac definiendi facultas vel etiam facilitas parta est et veluti in procinetu. Huic itaque arti res inter se propius longius diversas dignoscendi annotatione

nostra opportunitatem dare volumus exercendae; quo fit, ut suis quisque oculis cernat, suis auribus percipiat, suo quisque iudicio sententias ferat, neque in verba magistri iurasse satis habeat, neve aliorum vestigia veluti triste animal, quod natura pronum finxit, anxie insectetur: simul luculenta qua usi sumus vel oratione vel demonstratione viam monstrare tentavimus, quam incedere vel sequi possint, qui per longiorem argumentorum seriem auditores vel lectores ad certum aliquem finem deducturi essent: id quod in scholis maxime fieri solet singularibus scriptionibus vel commentationibus exhibendis. Etenim omnis loci impediti et implicati enucleatio causae forensi haud inepte comparatur, de qua sub iudice lis est; non desunt actores, non deficiunt patroni et advocati; adstant testes; citantur leges et decreta priorum. At eiusmodi contentiones et controversiae dici non potest quantum iuvenes alliciant allectosque teneant animos: est enim illud nobis omnibus, dum aetate floremus, a natura insitum, ut armis ac telis, sive corporis sive animi, contendere velimus; oderunt iuvenes alacrioris ingenii otio se dedere ac quieti; aspera et ardua quaerunt, quibus superandis vires exerceant; amant conspici, dum maioris animi altiorisque spiritus aliquod edunt documentum: ut brevi dicam, mobilitas ista quam propriam esse scimus iuvenili aetati ac levitas severiore disciplina scholastica cohibeatur ac ne in pravas cupiditates et libidines pessundet, examinando, interrogando, disputando diligenter in ipsis scholis caveatur. Sed ne multum in strenua ac vetere illa disciplina commendanda, cui inservire dixi et opem haud exiguam ferre artem criticam apte et prudenter cum interpretatione antiquorum scriptorum coniunctam, unum addendum est et nonnullis fortasse excusandum, quod quum eiusdem generis adminiculum institutionis scholasticae exstet editio a cl. Frotschero parata et copiosa annotatione adornata, immensum librorum numerum nulla necessitate cogente adauxerim, libello hoc novo in publicum emisso. Ac vide-

bant aequi opusculi me
lum differre a reliquo
Quintilianei vel libri
castigationem ante cu
Spaldingium in ips
doctorem, eoque sua
diti, qualem eam Q
viro illi praestantiss
In paucis a tanto t
ausus sum; sed id
urgente factum est,
ductus essem, non
sentient benevoli
nomine amantem f
cut partes sequi Sp
adstipulari vel Sar
insignibus nonnull
dem consultius hal
ras amplecti, qu
stabili, vel pro n
vel num reliquae ae
tanae sint et acot
certa retinere h.
mata, quamquam
videbantur et nov
quisitiones ad am
num meum ac me
varietatem ex co
et instructis, tum
adauctis, quam di
iuventutis enotare
rum vel diudica
genii acuendi, e
suppeditare videl
abundantiae, im
tibi in singulos qu
rum mendis infec

bunt aequi opusculi mei iudices, meam rationem paululum differre a reliquorum VV. DD. qui vel totius operis Quinctiliani vel libri decimi tum interpretationem tum castigationem ante curarunt. Secutus quidem sum cl. Spaldingium in ipsa oratione contexta constituenda ductorem, eoque suadente maximam partem talem reddidi, qualem eam Quinctilianum prima manu exhibuisse viro illi praestantissimo et sagacissimo persuasum erat. In paucis a tanto tamque praeclaro exemplo recedere ausus sum; sed id non nisi necessitate quae videbatur urgente factum est, neque unquam caussis quibus eo adductus essem, non significatis vel expositis. Deinde sentient benevoli lectores, me antiquitatis eo quoque nomine amantem fuisse ac studiosum, quod magis placuit partes sequi Spaldingii et priorum, quam Frotschero adstipulari vel Sarpio, ingenio et sagacitate quantumvis insignibus nonnullorum locorum exploratoribus; siquidem consultius habebam antiqua servare, quam coniecturas amplecti, quae quo nitantur fundamento firmo ac stabili, vel pro mei ingenii modulo assequi non poteram, vel num reliquae orationi Quinctilianeae prorsus consentaneae sint et accommodatae dubitabam. Malebam tunc certa retinere h. e. usu longiore et consuetudine confirmata, quamquam non comprobata, quam quae aliena videbantur et nova, antiquis intrudere: huiusmodi disquisitiones ad annotationem ablegare satius habui. Animum meum ac mentem imprimis eo intendi, ut lectionis varietatem ex copiis tum a Spaldingio quondam coactis et instructis, tum cl. Zumptii studio nuper mirum quantum adauctis, quam diligentissime inquirerem, easque in usum iuventutis enotarem variorum librorum scripturas, quarum vel diiudicatio vel delectio amplam et idoneam ingenii acuendi, certe excitandi, si forte obdormivisset, suppeditare videbantur occasionem. Unum vereor, ne abundantiae, imo redundantiae crimini fiam obnoxius, ubi in singulos quosdam locos vel obscuriores vel librorum mendis infectos prolixiore, ne dicam immoderatiore

oratione excurrendi animus fuit. Sed quum omnis veri inquisitio atque investigatio eiusmodi sit, quae uti uberiore expositione plerumque indiget, ita et adversariorum vel contradicentium aliquam habeat rationem, quemadmodum demonstratio interdum refutationem continet, fieri non potuit, quin annotatio quae esse debebat pressa et parca, in commentarii veluti speciem produceretur, quo distinctius vel locus vel sententia explanaretur atque clariore quasi luce illuminaretur. Studiis enim potissimum privatis discipulorum tum supplementum tum incitamentum hac mea qualicumque opera impensa adferre volui; utinam spes mea et exspectatio non prorsus ad irritum cadat. Excitatus quidem ex parte animus meus ac sustentatus est grata et iucunda virorum aliquot summe venerandorum tum publica tum privata cohortatione, qua ad versionem Germanicam eiusdem libri X. Institutionum nuper conficiendam non frustra me otium et operam applicavisse contestati sunt. Velim mihi contingat, ut etiam hocce opusculum viris humanissimis non prorsus improbetur, ut aliquam saltem et diligentiae et ingenii optimarum artium studii atque amoris habeat testificationem: qua quidem summorum virorum approbatione si quando digni visi sumus, id quod nobis aliquoties obtigisse valde laetamur, eum inde nos fructum percipisse grato animo confitemur, ut in dies magis magisque et iuventuti nostrae disciplinae traditae optimo quaeque docendo prodesse et ad interiorem literarum Graecarum et Romanarum cognitionem penetrare, indagando, meditando, commentando pro viribus eniteremur. Etenim uti magna voluptate nos in rebus secundis adficit nec parvum animo in afflictis solamen adfert, literarum et sensuum communione cum honestis ac probis hominibus iunctum esse, ita non facile ulla est ars bona vel virtus tam sibi constans, tam semetipsa contenta, ut non interim aliquo applausu corroboretur, honesta aliqua cohortatione ad altiora appetenda et assequenda inflammetur.

Panca restant
mittere propterea
tandi inde sumta
nullorum de quibus
amplexus sum, qu
tam vel habui vel a
scriptoris nostri ne
morum consensu a
non desunt, qui r
mibi quoque ratio
runtur, quibus de
scripturam nomini
ut reliquos omittat
runt *quinque*, a
nomina. Sint is
modo ne naturae
rectorem, advers
visa est ratio, v
imitationem *som*
qualisque auri
testis Priscianus
euphoniae cause
et similiter in a
vocalem mutasse
Atque idem ille
eiusdem generis
quadam vocis ra
laborumque ad
quo nemo dubita
convenire oris a
si literam *n* dup
mus, modo *mu*
appellatione lic
idem fere sonu
gallorum in sim
sonos quum lin
esse novimus,

Pauca restant memoranda, quae silentio praetermittere propterea nefas puto, quod multis multa disceptandi inde sumta est copia. Primum vocabulorum nonnullorum de quibus ambigunt VV. DD. scripturam eam amplexus sum, quam prae ceteris usitatam et pervulgatam vel habui vel accepi: ideo nihil moratus sum in ipso scriptoris nostri nomine ita exserendo, quale ex plurimorum consensu antiquitus scriptum putatur, quamquam non desunt, qui repugnent. In quo non reticebo alias mihi quoque rationes suppetere, quam quae vulgo efferruntur, quibus defendi posse, certe excusari crediderim scripturam nominis, qualem cum Gesnero et Frotschero, ut reliquos omittam, typis exarari iussi. Etymon adferunt *quinque*, a quo repetendum sit *Quinctius* et similia nomina. Sint ista habeantque suos quaeque amatores, modo ne naturae usuique, qui illam sequitur ducem ac rectorem, adversentur. Nobis alia probabilior semper visa est ratio, ut *Quinctilianum* scriptum putaremus ad imitationem *soni*, qualis et ore reddebatur ac labris, qualisque auribus percipiebatur. Auctor autem est ac testis Priscianus, vetustos quosdam scriptores Latinos euphoniae causa scripsisse *Agchises*, *agceps*, *aggulus* et similiter in aliis vocibus ante *g* vel *c* literam *n* semivocalem mutasse in *g*. Cfr. Priscian. edit. Krehl. p. 37. Atque idem ille grammaticae artis magister hanc aliasque eiusdem generis mutationes factas esse docet naturali quadam vocis ratione, propter celeriore motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus: de quo nemo dubitat. At videor observasse non minus bene convenire oris ac vocis humanae structurae atque naturae, si literam *n* duplici sono ab antiquis pronunciatam statuissemus, modo *mutam* eam fuisse, modo *canoram*, ut hac appellatione liceat uti: quae posterior ratio ubi valuit, idem fere sonus edebatur, qualis etiam nunc est Franco-gallorum in similibus syllabis eloquendis. Quos quidem sonos quum linguam Graecam non prorsus aspernatam esse novimus, cur ab ore et oratione Latina abhorrentes

credamus? Alterum, de quo commonefaciendi sunt lectores, ad singulorum quibus compositae sunt enunciationes membrorum vel articulorum distinctionem pertinet, quam ut rarius adhiberemus tum summorum virorum hac de re praecepta, tum sermonis Latini natura et indoles suaserunt; neque tamen quem semel ingressi eramus tramitem tam stricte et tam aequabiliter persecuti sumus, quin ad commune iudicium popularemque intelligentiam, ubi necessitas efflagitare videbatur, nostram accommodarem rationem et iuvenilem maxime oculorum aciem facile errantem ad verum cernendum signis quibusdam appositis intenderemus. Porro quid de *inscriptione* totius operis Quinctiliani, cuius partem nobis illustrandam delegimus, statuamus, dicendum fortasse videtur nonnullis, quibus offensionis aliquid habet numerus pluralis Institutionum Oratoriarum. Consulendum esse Bünemannum ad Lactant. p. 1. de re admodum ambigua sciscitantibus, monuit Frotscherus in edit. mai. p. 1., ipsum numerum pluralem a Cicerone usurpatum esse edocemur loco satis luculento, qui exstat de Nat. D. I, 4. Codicum in re tam incerta arbitrium paene nullum est, utpote qui inter utramque formam fluctuent, sic ut utram in partem lanx vel deprimatur vel elevetur, nescias. Verumtamen nuper aliquid nostrae rationi accedere videbatur momenti, discrimine si cui placet constituto inter inscriptionem, qualem ipse auctor libri in epistola ad Tryphonem exhibuit: *libros quos de institutione oratoria scripseram*, et quae haud dubie posteriori aetati debetur *pluralis* formam numeri. Quemadmodum enim Latine dicitur: *libros conficere vel conscribere de arte oratoria*, quam etiam legi inscriptionem operis Quinctiliani unum certe huius generis exemplar prodit in Catalogis MScriptorum a cl. Haenelio Prof. Lips. nuper editis p. 243. ita et de *institutione orat.* liber vel libri compositi optimo iure efferuntur. Sed alia mihi videtur subesse conditio notionum ac verborum, ubi casus Obiecti quem vocant nomini Subiecti ita additur, ut *totum aliquid*

corpus comp
rum unaqua
perfecta, qu
cuique propo
causae vel
auctoribus u
generis vel p
clusae. Habe
haec, quod S
VI; Plinii m
Historiarum
operi imposi
Libri II. N
tam constat,
situmque a r
mea opinio fe
esse censeam
Institutionum
cato, ut inte
sumatur noti
quibus orator
Sed haec
in votis habec
seculo aliquid
ad laetiores c
progressus, id
Iantate aut st
aliae eaeque ac
in nos benevol
nobis et in pos
num illum ac f
tutorem et gube
ad iuventutem
inde non nome
recta tendentib
dam virtutis am
defixus insideret

corpus compluribus partibus contineri enuncietur, quarum *unaquaeque etiam per se spectata absoluta est et perfecta*, quoniam in singulis singulae tractantur res, sua cuique proposita est materia: etenim ubi tale quid incidit caussae vel conditionis, *pluralem numerum* ab optimis auctoribus usurpatum legi, quo significantur eiusdem generis vel propositi singulae partes, uno corpore conclusae. Habemus sententiae nostrae documenta maxime haec, quod Sallustii commemorantur *Historiarum Libri VI*; Plinii maioris *Bellorum Germaniae XX*; *Naturae Historiarum XXXVII*. cui non obstat illud quod *Velleji* operi impositum legitur nomen: *Historiae Romanae Libri II*. Nam qui huius inscriptionis auctor fuerit non tam constat, quam aliud Vellejo fuisse consilium propositumque a reliquis diversum apparet. Quare ita mea opinio fert, ut opus Quinctilianeum inscribendum esse censeam aut *de Institutione Oratoria Libri XII* aut *Institutionum Oratt. Libri XII*, illo nomine ita explicato, ut intelligatur *ratio ac via instituendi*; hoc vero sumatur notione concreta de ipsis *praeceptis ac legibus*, quibus orator perfectus instruat necesse est.

Sed haec hactenus. Unum quod superest, et quod in votis habeo, ut optimis adolescentibus hoc meo opusculo aliquid allatum sit honesti subsidii et excitamenti ad laetiores capiendos profectus et in literis Romanis progressus, id non tam in viribus humanis neque in voluntate aut studio, quantumvis acerrimo positum est: aliae eaeque admodum mobiles et inconstantes hominum in nos benevolentiae ac favoris sunt conditiones: quae ut nobis et in posterum ferantur secundae et prosperae, summum illum ac firmissimum rerum humanarum precamur tutorem et gubernatorem. Etenim quidquid studiis nostris ad iuventutem edocendam, instituendam contulerimus, inde non nomen aut famam petimus; optatius fuit ad recta tendentibus adolescentulis et quibus naturalis quidam virtutis amor ac literarum in medullis et visceribus defixus insideret, exemplum proposuisse, et qui natura

ita essent comparati excitatos habere vel admonitos, ut meliores esse quam nos velint. Scripsimus Gerae d. XXVIII. Jul. MDCCCXXX.

Index librorum tum manuscriptorum tum editorum, quorum vel in annotatione mentio facta est, vel qui aliis nominibus notatu digniores habentur.

- Codex *Turicensis*, omnium facile princeps et dux quasi gregis, certe *Spaldingio* fuit. Undecimi saeculi esse putatur; expertus vero est manum secundam correctoris.
- Cod. *Florentinus* in bibliotheca *Laurentiana*; auctoritate primo loco enumerato proximus: a manu secunda passim vel emendatus vel immutatus.
- Codd. *Ambrosiani* I et II. quorum quidem priorem *Zumptius* omnium praestantissimum iudicat, qui et eximiae eius bonitatis exempla nonnulla uti nova et inopinata, ita gratissima et desideratissima protulit. Cfr. Prooem. p. XII. sqq.
- Cod. *Bodlejanus* a *Gibsonio* editore *Oxonien*si collatus.
- Cod. *Almelovenii*, quo nomine denotatur codex quidam antiquus, ex quo *Batavus* ille doctissimus varias lectiones in marginem libri sui transscripserat.
- Cod. *Argentoratensis*, quo cum aliis subsidiis usus est *Obrechtus*.
- Codd. *Vossiani* III. a *Burmanno* in ea quam paravit editione adhibiti.
- Cod. *Gothanus* I. quem *Gesnerus* imprimis non tam consultorem et suasorem habuit, quam ut in lucem prodiret, qui adhuc in occulto iecerat, opera sua effecit. Ipsum codicem *Gesnerus* describit externa pulchritudinis specie insignem; ceterum recentioris aetatis et inferioris ordinis aestumatur.
- Cod. *Guelferbytanus*, de nobiliore gente liber, qui ex *Spaldingii* sententia *Vossianis* I et 3. et codici *Bernensi* s. *Bongarsiano* paene par habeatur dignus.
- Codd. *Parisienses* Regii VI. primum a *Pottierio* in editione a. 1812. deinde a *Dussaultio* 1821. collati; quam parum diligenter id factum sit, nuper merito cum *Frotschero* conquestus est *Zumpt.* I. I. p. XX. sq.
- Codd. *Palatini* II. a *Jano Gebhardo* quondam in auxilium vocati.

Sant
bello sing
a consilio
qui scire e
se non po

Libr
1470. fol.
tan. Co
Bibliot
Spaldi
tali et
adium
1470. fol.
Panna
Paulu
esse a
1471. fol.
gratit
seant
tia
datu
miro
nus i
tanqu
invent
ma im
niose
usi su
1482. fol.
num e
1493. fol.
nibus
1512. fol.
Rhamm
coarguit
quae ips
1514. 4. V
Aldinae
1516. fol. P
notationi
a libro 2
vationes)

Sunt praeter hos alii, quorum quum in nostro libello singularis ratio habita non sit, recensum repetere a consilio alienum existimavimus: plura et pleniora si qui scire cupiant, eos Spaldingium et Gernhardum adiisse non poenitebit.

Librorum editorum hi potissimum laudantur:

1470. fol. *Romae*, editio princeps, cum praefatoria *Io. Anton. Campani* epistola. Libri rarissimi exemplar ex copiis Bibliothecae Gottingensis beneficio clarissimi Heynii Spaldingio oblatum tantum viro de Quinctiliano immortali cum laude merito voluptatis ac laetitiae, quantum adiuventi attulit.
1470. fol. *Romae* apud Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannarz cum *Io. Andreae* Episc. Aleriensis epistola ad Paulum II. P. M. in qua editor *Campani* laboribus se usum esse affirmat. Eam consuluit *Gibsonus*.
1471. fol. *Venetiis*. In fine leguntur haec, quae tironum gratia, quo melius et saeculi mores et iudicium cognoscant, transscribere non piget: „*Quintilianum eloquentiae fontem* ab eruditissimo *Omnibono Leonicensi* emendatum *M. Nicolaus Ienson* Gallicus viventibus posterisque miro impressit artificio.“ Illum vero *Iensonium* *Omnibonus* in praefatione praedicat ac summis laudibus effert tanquam *alterum Daedalum*, qui librariae artis mirabilis inventor, non ut scribantur calamo libri, sed veluti gemma imprimantur ac prope sigillo, primus omnium ingeniose monstraverit. *Gesner.* et *Spalding.* hoc libro usi sunt.
1482. fol. *Tarvisii* per *Dionysium Bononiensem* ac *Peregrinum* eius socium. *Spald.*
1493. fol. *Venetiis* per *Bonetum Locatellum* cum annotationibus *Raphaelis Regii*. Contulerunt *Burm.* et *Spald.*
1512. fol. *Venetiis* apud *Aldum* ex *Andr. Naugerii* et *Bapt. Rhamnusii* recognitione. Editor *Bipontin.* hunc librum coarguit nihil esse nisi editionem repetitam *Iuntinam*, quae ipsa prodiit *Florent. 1510. 8.*
1514. 4. *Venetiis* apud *Aldum*. Vulgo nomine fertur: edit. *Aldinae* *H. Burm. Spald.*
1516. fol. *Parisiis* apud *Iodoc. Badium Ascensium* cum annotationibus *Raph. Regii* et *Georg. Merulae* (hic demum a libro XII. c. 7. ubi desiit *Regius*, suas addidit observationes) et *Iod. Badii Asc.* qui ex *Laurentii Vallae* co-

- dice sexcentos locos restituisse iactat. Vulgo: edit. *Ascensiana* I. Eam prae ceteris introspevit Spald.
1519. fol. Secunda *Iod. Badii Ascensii* editio; in multis recedens a prima a. 1516. Gesner. et Spald.
1521. fol. *Coloniae*: liber titulo comparuit, quem ob novitatem infra scriptum habes huncce: M. F. Quintiliani Institutt. Oratt. Libri XII. una cum *declamationibus* eiusdem *argutissimis* ad *horrendae vetustatis* exemplar impressis. *Coloniae* in aedibus *Eucharri Cervicorni* et *Heronis Fuchs*. Cum Praefat. Godefredi *Hittorpii* ad *Melanchthonem*. Codicem illum vetustissimum solas exhibuisse *Declamationes* in promptu est, quemadmodum omnino frequentiore earum usum olim fuisse, quam *Institutionum* ex comparatione testium, quos hac de re consultare licuit, colligi posse putaverim. Spalding. in suis memoravit.
1521. (in titulo: 1522.) 4. *Venetis* apud *Aldum*. Indicatur a *Bipont.* nomine: Edit. *Aldinae* III. Spald.
1527. 8. *Basileae* apud *Adamum Petrum Petri Mosellani* in Institutt. libros VII. priores. Usus est illo commentario *Burm.* Vulgo *Basil.* I.
1529. fol. *Basileae* cum *Ioann. Sichardi* praefatione et notis. Vulgo: edit. *Basil.* II. Eam usurpavit *Gibson*.
1531. fol. *Parisiis* apud *Io. Badium Ascensium* ex recognitione *Guil. Philandri* et *Petri Mosellani*. Vulg. *Ascensian.* V.
1534. 8. *Coloniae* apud *Ioann. Gymnicum* cum *Longolii* praefatione notisque *Sichardi* et in duos primos libros *Ioach. Camerarii*. Laudatur nomine: *Colon. IV.* Editt. duae priores mediae II. et III. sunt annorum: 1527. fol. et 1528. 8. apud *Soterem*.
1536. 8. *Lugduni* apud *Sebastian. Gryphium*. Ex eadem officina prodiit opus *Quinctilianeum* XII. inde ab anno 1531 ad 1591. Editione VII. anni 1544. usus est *Spalding*.
1538. fol. *Parisiis* apud *Michael. Vascosanum*. Ex eadem officina editio auctior a. 1542. forma maxima et 4. Repetita 1549. cum praefatione *Petr. Gallandii*, *Angeli Politiani*, notis *Mosellani*, *Camerarii*, *Pini*.
1556. 4. *Parisiis* apud *Th. Richardum* prodierunt: *Adr. Turnebi* notae in Institutt. Oratt. Opus habetur *suppositivum*.
1570. 8. *Lipsiae* impensis *Iac. Apelii*. Continet in librum X. annotatt. *Melanthonis* alior. edit. per *M. Stephan. Riccium*.

1591. 8. c
cina e
1641. 8. c
In lib
1665. 8.
Variou
coniec
1693. 4.
Spaldi
aditu
gentia
iudica
tis ce
1698. 4.
Obre
rum
caru
erat
cludi
reco
gui
pro
1715.
usu
a C
ex n
tilat
1720. 4.
XII
notis
II. a
mult
seni
exem
1725. fol
Totu
Capp
variat
dum,
passio
comu
pentin
quam
se tam

1591. 8. *Genevae* apud *Iacob. Stoer.* Prima ex eadem officina editio prodiit 1580.
1641. 8. *Genevae* apud *Petrum Chouet* cum not. *Dan. Parei.* In libris fuit *Spaldingii.*
1665. 8. *Lugduni Batav.* ex officina Hackiana cum notis Variorum opera *C. Schrevelii*: paucae etiam reperiuntur coniecturae *I. Fr. Gronovii.* *Burm. Spald.*
1693. 4. *Oxonii* cum notis *Edmundi Gibson*, qui teste *Spalding.* trium *Codd.* et octo editionum veterum auxiliis adiutus aliquanto maiorem apud aequales nactus est diligentiae et subtilitatis existimationem, quam eum meruisse iudicat *Spalding.* ceteroquin modestissimus alienae virtutis censor.
1698. 4. *Argentorati* apud *I. R. Dulsscher* cura *Ulrici Obrechtii*, viri uti iuris consultissimi ita rerum publicarum administrandarum et Literarum Romanarum et Graecarum peritissimi. Nat. 1646. mort. 1701. Ipse usus erat Codice Argentoratensi, cuius quae sit dignitas concludi potest, quae vero in ipsa *Obrechtii* studia in textu recognoscendo vel corrigendo moderanda efficacia, distinguere nequit: nam quominus opus suum animo conceptum prorsus absolveret, morte praepeditus est.
1715. 8. *Parisiis.* Institutionum oratoriarum Libri XII. ad usum scholarum accommodati etc. brevibus notis illustrati a *Carolo Rollin.* Apud *Iacob. Stephanum.* Verum opus ex more et instituto Patrum ex Societate Iesu habes mutilatum.
1720. 4. *Lugduni Batav.* *De institutione oratoria Libri XII.* Declamationes maiores etc. et minores etc. Cum notis doctorum virorum, curante *Petro Burmanno.* Voll. II. apud *Ioann. de Vivie.* Editio locupletissima praeter multa alia scitu dignissima continet notas *Theodori Iansseni ab Almeloveen*, quondam ab homine eruditissimo exemplari *Quinctiliani* operis adscriptas.
1725. fol. *Parisiis.* *De institutione oratoria Libri XII.* Totum textum recognovit etc. emendavit etc. *Claudius Capperonnerius.* Editio perquam copiosa et multam ac variam suppellectilem praebens ad *Quinctilianum* illustrandum, interpretandum, maxime ab rhetorum artificiiis passim explicatis, quorum *Capperon.* admodum gnarus fuit, commendanda, artem vero criticam nihil prorsus ad se pertinere existimasse videtur, quum vir ille doctus, quamquam *Parisiis* vitam degens, ne aura quidem populari quae se tam facile agitari patiuntur illius gentis homines, im-

- pulsus fuerit, ut Codices Bibliothecae Regiae de rebus dubiis consuleret.
1738. 4. *Gottingae*. M. Fabii Quintiliani de institutione orator. Libri XII. collatione codicis *Gothani* et *Iensonianae* editionis etc. illustrati a *Io. Matthia Gesnero*. Apud Abram Vandenhoeck.
1784. 8. *Biponti*. Voll. IV. *Marci Fabii Quintiliani Opera omnia*. Maximam partem exarata ad exemplar editionis Gesner.
- 1798 — 1816. 8. *Lipsiae* sumtibus Siegfr. Leber. Crusii, post Vogelii: M. Fabii Quintiliani de institutione orat. Libri XII. ad Codicum veterum fidem recensuit et annotatione explanavit Georg. Ludov. Spalding, Gymnasii Berolino-Colon. Professor. Volumen IV. post mortem Spaldingii omnibus bonis lamentabilem (obiit a. 1811. anno aetat. 49.) curavit *Philipp. Buttmannus*. Nuper finem operi a cl. Spaldingio ante hos paene XXX annos suscepto imposuit *Carol. Timoth. Zumpt* Volumine V. addito, quo *Supplementa annotationis* multo labore collecta et in ordinem digesta continentur.
- 1816 — 21. *Lipsiae*. Voll. II. 8. Editio ad scholarum usum accommodata curante *Godofred. Aug. Bened. Wolffio* Professore Portensi. Apud Frid. Christ. Guil. Vogelium. Gratium et utile donum iuventuti illa editione oblatum censeas.
- 1821 — 24. *Parisiis*. Voll. VI. 8. Edidit opus Quintilianicum *Io. Ios. Dussault* cum integris commentariis Georg. Ludov. Spaldingii, quibus novas lectiones et notas adiecit. Est haec editio ex collectione Scriptorum classicorum, quam inchoarunt viri docti Francogalli *Achaintre* et *Lemaire* et quam cum compluribus aliis continuare decreverunt.
1830. *Lipsiae*. Voll. II. apud *Teubnerum*. M. Fabii Quintiliani de institut. orat. Libri XII. Notas maximam partem criticas adiecit *Aug. Gotth. Gernhard*. Editio et elegantissima et a modico pretio facillime omnium paranda: scilicet si quae tibi offerantur artis criticae subsidia ex vero aestimaveris. Alias enim et minore pretio prostant editt. *Lünemanni* Hannoverae 1826. et *Tauchnitzii*. Mansit autem clarissimus *Gernhardus* ut ita dicam in fide *Spaldingiana*, h. e. non nisi in paucis, maxime id factum esse expertus testor in Libro X, aliorum partes secutus est: praeterea observationum et curarum posteriorum satis amplum addidit auctarium et annotationis textui subiectae elenchum.

1826. Lip
stituti
menta
Adde his:
rum
Hal.
Ea
(Phil.
1816
Ea
Ga
Quint
Libr.
Pos
res com
scriptoris
quae cor
rae nomi
Supplem
Frotsch
Analec
decimu
tatione
Theolog
emissa
Weilbur
1830.
rum talit
ex singu
de antic
Londin.

1826. *Lipsiae* apud Hartmann. *M. Fabi Quintiliani Institutionum orator. Liber X.* Ex recensione et cum commentariis *Carol. Henr. Frotscheri.*

Adde his: *Gustavi Sarpri* (Professor. Rostochiens.) *Analectorum* ad Georg. Lud. Spaldingii *Quintilianum specimen.* Hal. Sax. apud Kümmel. 1815. 8.

Eiusdem Epistola ad nuperrimum Quintiliani editorem (Phil. Buttmannum) Suerini ac Rostochii apud Stillerum. 1816. 4.

Eiusdem Quaestiones philologicae. Rostoch. 1819. 4.

Guilielmi Aug. Gensleri Analectorum ad editionem Quintiliani Spaldingianam specimen observationes ad *Libr. X.* continens. Coburgi 1822. 8.

Postremo loco non praetermittendae sunt complures commentationes, altioris sane doctrinae et interioris scriptoris nostri cognitionis eximia quaedam specimina, quae continentur *Ephemeridibus literarr. Ienens.* censurae nomine confectae, imprimis operis Spalding. 1821. Supplement. No. 77. sq. *Wolffiani* a. 1825. No. 72. 75. *Frotscheriani* a. 1827. No. 154. 55. *Genslerianorum* Analect. a. 1827. Supplem. No. 60. 61. — Ceterum *decimum* librum et antea complures et nuper brevi annotatione critica instruxerunt *Henke* Helmstadiens. quondam Theolog. celeberrimus. Editio primum in publicum emissa 1778. repetita 1829. et *Eichhoffius* Professor. Weilburgens. cuius liber prodiit *Giessae* apud Heyer. 1830. Reliqua notitiam literariam supplebunt, quorum talia scire interest, tum ex editione *Bipontina*, tum ex singulari Dissertatione cuius auctor exstitit *Mattaire*: de antiquis Quintiliani editionibus ad Io. Clericum. Londin. 1719.